



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola LXXVIII. Gregorii Papae I. Ad Vianenses. De episcopo eis
ordinando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLA LXXVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD MARTINVM EPISCOPVM IN CORSICA.

Præcipit de Tamitana ecclesia transfire in
Aleriensem.*Gregorius Martino episcopo in Corsica.*

Ioan. diac.
lib. 3. vit.
cap. 15.

IVSTA poscentibus aurem nos oportet beneuolam com-
modare, quatenus & petentes remedia sperata repe-
riant, & ecclesiæ non desit solicitude pastoris. Et quoniam
ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore sacerdo-
tali tua fraternitas decorata, ita est delictis facientibus ho-
stili feritate occupata atque diruta, vt illuc ulterius spes re-
meandi nulla remanserit: in ecclesia Aleriensi, quæ iamdiu
pontificis auxilio destituta est, cardinalem te, secundum
petitionis tuæ modum, hac auctoritate constituimus, si-
ne dubio sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei
amore secundum Canonum præcepta cuncta dispone vel
ordina, vt & fraternitas tua suis desideriis se gaudeat fuisse
potitam, & ecclesia Dei alterno gaudio repleatur cardi-
nalem te suscepisse pontificem.

EPISTOLA LXXVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD VIANENSES.

De episcopo eis ordinando.

Gregorius clero, ordini, & plebi Vianensis ecclesiæ.

QVOTIENS res aliqua pluribus agenda commititur,
dum quisquis dissentit ab altero, dispendiis potius
quam utilitatibus aditus referatur. Quod nos prouiden-
tes, ne hoc vestræ contingere possit ecclesiæ, eius curam
utilitatesque Honorato presbytero ad præsens commit-
tendas elegimus; quatenus res utilitatesque ecclesiæ per
eum & procurari valeant, & modis omnibus custodiri.
Ideoque dilectionem vestram scriptis præsentibus adhor-
tamur, quatenus, vt vobis possit ordinari sacerdos, inui-
cim vestræ voluntatis omnino in vnius digna elektione
concordet assensus, nec amplius Dei ecclesiam officio

patiamini vacare pontificis. Quousque vero ecclesiæ ipsi
sacerdos fuerit ordinandus, omnem supradicto presbytero,
sicut diximus, solicitudinis eius curam commisimus.
Ita ergo se vestra dilectio in his omnibus exhibere festi-
net, vt amore vos ecclesiæ habere pronæ deuotio men-
tis ostendat.

EPISTOLA LXXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD CLERVM ET NOBILES CORSICÆ.

De Martino episcopo eis de alia ecclesia ordinando.

Gregorius clero & nobilibus Corsicæ a paribus.

ET S I VOS multo iam tempore sine pontifice esse Dei ec-
clesiam non doletis, nos tamen de eius regimine cogi-
tare & suscepiti cura compellit officii, & vestræ quamplu-
rimum caritas dilectionis alstringit, scientes quod in eius
gubernationibus animarum vestiarum simul consistit vti-
litas. Nam si gregi pastoris cura defuerit, facile laqueos
infidicatoris incurrit. Ea de re quoniam ecclesia Alerien-
sis sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duxi-
mus Martinum fratrem & coepiscopum nostrum ibi-
dem cardinalem constituere sacerdotem: Leoni vero
fratri & coepiscopo nostro operam eius visitationis in-
iungere. Cui etiam in ea parochiisque ipsius presbyte-
ros atque diaconos concessimus ordinandi licentiam,
eumque rebus eius, quousque illic fuerit, vt proprium
pontificem vti permisimus. Ideoque scriptis præsentibus
admonemus vti præfatum visitatorem caritas vestra cum
omni deuotione suscipiat, eique obedientiam in iis quæ
rationi conueniunt, sicut ecclesiæ decet filios, exhibete;
quatenus omnia quæ ad vtilitatem suprascriptæ pertinere
cognoscuntur ecclesiæ vestra valeat suffultus deuotione
implere.